

*Bibliothèque numérique*

medic@

**Feller, Christian. De Enematibus,  
atque noua fumum tabaci infiandi  
methodus**

*Lipsiae, apud viduam Büscheliam, 1781.*

*Cote : 90957 t. 226 n. 7*

7  
VIRIS  
EXPERIENTISSIMIS,  
BENIAMIN GOTTHELF KNOTHE,  
GOTTLOB FRIDRICH RICHTER,  
IOHANN IACOB BILLING,

GRATVLATVR

NVPER ADEPTOS DOCTORIS HONORES

COLLEGII DISPVTORII,

QVOD SVB VIRI AMPLISSIMI ATQVE EXPERIENTISSIMI

IOHANN EHRENFRIED POHL,

MED. ET PHIL. D. PROF. BOTANICES, PHISICI PROV.

MODERAMINE FLORET

INTERPRES,

CHRISTIAN GOTTHOLD FELLER

MED. CVLT.


---

*Insunt quaedam de Enematibus, atque noua fumum tabaci inflandi methodus.*

---

LIPSIAE VII. ANTE KAL. IVLII MDCCLXXXI.

TYPIS VIDVAE BÜSCHELIAE.



Πάντα μὲν καθαροὶ τοῖς καθαρῶς.

VIRIS OPTIMIS  
DOCTORIBVS EXPERIENTISSIMIS

S. D. P.

CHRISTIAN GOTTHOLD FELLER.

**M**irabimini forsan *DILECTISSIMI AMICI*, me, qui semper sine furo atque dolo *VOS* dilexi immo amaui, me *VOBIS* Getas Sarmatasque aliamque patriam tendentibus, jam fumum commeatus loco dare, haud secus ac si id commerueretis amore vestro firmare amicitia. Iam vero *VOS* me, meumque animum ingenuum atque probum bene nostis, atque tale quid, alio, ac medico sensu a me expectari extimescere non posse, perspectum habetis puto atque demonstratum. Ideoque non opus est ut me ea ex causa excussem, alia nimirum restat, eaque admodum grauis deprecatio. Meus enim ordo veniebat, mihi, *VESTROS* honores, felicitatem *VESTRAM* et, prohi dolor! cum his coniunctum iter *VOBIS* gratulari incumbebat, mihi, qui Vobiscum praesertim vero cum *KNOTHIO* meo vixi coniunctissimus. Poteritne in tanta animi conturbatione, ubi summa laetitia cum acerbissimo dolore ludans, mentem quatiunt, docta gratulatio, eaque elegans expectari? Habetis igitur causam eamque uti opinor admodum iustam excusationis, egoque nullus dubito, *VOS* mihi daturos esse veniam, si levis haec scriptio doctrinae *VESTRAE* huiusque saeculi felicitati parum fuerit accommodata. Nunc vero nil, pia praeter vota supersunt. Progrediamini igitur semel ingressa virtutis atque honorum semita, cujus januam *VESTRA* solida eruditio, animique candor *VOBIS* patefecit, defruamini omni felicitatum genere, quod

A 2

VE-

---

*VESTRA* meaque expectatio *VOBIS* spondent. *Vnicuique* tandem *Ouidianum* illud acclamare liceat

*Viue sine inuidia mollesque et glorijs annos*  
*Exige, amicitias et Tibi junge pares.*  
*Nam pede inoffenso spatium decurrere vitae*  
*Dignus es, et fato candidiore frui*  
*Quae pro te ut voueam miti pietate mereris,*  
*Haesuraque mihi tempus in omne fide.*

*Ego vero cum optimis comilitonibus plane non dubito, fore, ut*  
*VOS, vel in aulae splendido domicilio vel in amicorum, parentumue*  
*sinu atque amplexibus, nostrorum, nunquam obuiiscamini, nos*  
*autem conabimur id quouis studiorum, amicitiaeque testimonio, et si*  
*amicitiae demonstrandae opportunitas nulla suppetat, VESTRI can-*  
*doris reminiscencia commereri. Et ita valete.*

---

**S**i longus atque diuturnus medicationis cuiusdam usus, de ejus eximia virtute ac vi optime nos conuincit, sane valebit hoc de clysteribus; siquidem antiquissimum usum enematum esse, vel ex eo patet, quod ex antiquorum monumentis intelligimus, veteres Egyptios eorum vtilitatem atque applicationem a ciconiae genere, Ibin vocabant, didicisse, eamque medicamenta applicandi methodum ob egregias quas demonstrabat virtutes, in vniuersum terrarum orbem derepente dimanasse. Ac sane relictis hisce traditionibus commentisue, vel ipsa sana ratione haud fit obscurum intellectu, quoduis medicamentum eo citius atque melius scopum suum attingere debere, quo propius atque ocyus affecto loco id possit applicari. Iam vero cum hoc de enematibus omnino valeat, intellectu facillimum est, qui fiat ut adeo frequenter vnum clyisma plus efficiat ac ante catharticatorum amphorae, quibus nimirum tenuium intestinorum illi maeandri prius permeandi sunt, ac ad locum vbi apprime agendum est, hoc est, ad crassa intestina atque in iis indurata scybala perueniant, ibique desideratum effectum operentur. Enimuero cum hic non primarius finis clysmatum sit, verum haec chirurgia insuper, pro varia miscela atque compositione, varios ut anodynos, reuulsorios, <sup>1)</sup> nutritios et <sup>2)</sup> anthelminticos edat effectus, latus omnino pateret campus super ea re differendi, quam vero disquisitionem, siquidem id, tum de aliis doctioribus iam fufius explanatum est <sup>3)</sup> tum etiam hujusmodi scriptiunculae arte

A 3

circum-

1) Quamuis haec, nutritia nimirum eorum vis a multis doctis negetur, inter quos Etmullerus, eminet qui in sua Dissert. de liquorum infusione, conclus. VI. §. 3. id potissimum vrget; commonstrauit tamen eam Ill. TRIL-  
LERVS singulari propemptico, Opuscul. P. I. p. 399, reperiundo, vbi, pro eximia quae ei est elegantia rem inde a medicinae incunabulis deriuat atque demonstrat.

2) Iam CELSO cognitos vid. de Med. Lib. IV. c. 17. sub fin.

3) REGNER DE GRAAF in Operibus 1677. Lugd. Batav. et LAN-  
ZONVS propria dissert. Ferariae 1691. Folio edita, de ea re egere.

circumscripti limites haud patiuntur sicco praeteribo pede. Quid autem in vniuersum clysmatis notio significet, in hacce disquisitione non videtur praetermittendum. Vbi quidem omnes mecum facile consentiant, vel ex ipso *ἐνυμῶ* intelligi Clyisma vel Enema nihil aliud esse praeter eam operationem vbi fluidum corpus, in animalis excavatas partes injicitur vel intruditur <sup>4)</sup>, quo ibidem salutariter effectus operetur. Quae quidem definitio quamvis omnino rei vniuersam comprehendat ambitum, haud tamen valuit tantum, ut non chirurgi diuisionem fecerint aliquam, eaque clysmata quibus intestina purgant, clysmata vel enemata *κατ' ἐξέχην*; reliqua vero injectiones simplici verbo appellitauerint <sup>5)</sup>. Vltiorem vero horum injectionum disquisitionem singulari libello profecutus est *Experient. BERGMANN*, nunc Budissae ob felicem praxin clarus <sup>6)</sup>.

Haecce vero clysmata a tot inde retro saeculis vsurpata, haud dubie simplicissima suppelleatilis applicata fuisse, inuentorum quorumcunque euincitur *ἀναλογίᾳ*, cui quidem sententiae eo majus robur accedit, quo recentiora ea inuenta sunt, quibus eorum compendiosior ac mundior redditur adhibendi methodus. Nimirum proximo saeculo demum descripsit *GVILIELMVS* ille *FABRICIVS*, quem *Hildanum* <sup>7)</sup> dicunt, apparatus, quo quilibet sibi met-

ipsi

4) Clyster, abluitio, lotio. (vid. *Cels. Lib. II. C. 12.*) α *καλύξεν* vel *καλύσσειν* lauare, *ἐνυμῶ* ab *ἐνυμι* infundo.

5) Antiquitus quamvis vana atque parum determinata clysmatum fuerit denominatio, siquidem illi tum materiam, quae injicitur subintellegerunt, tum locum, quod clysteri vesicali, auriculari, ophthalmico nomen dedit, tamen videtur mihi *Celsus Lib. VI. c. 7. sect. 9. eod. Lib. C. 18. Sect. 2. Lib. VII. C. 26. Sect. 5. et eod. Lib. C. 27. per oricularium clysterem machinam intelligere.*

6) *Dissert. Inaugur. de injectionibus Chirurgicis 1757. Lipsiae ventilata.*

7) *IOANNES SCVLTVS* in *Armament. Chir. Tab. 45.* jam tale quid comonstrat, luculentius vero declarat rem *Hild. Obser. Centur. I. Obs. 78.*

ipsi ejusmodi medicinam adhibere potest, ubi quidem, uti ex delineatione elucescit, vesica superest, ea tamen cum cautione ut, duorum epistomiorum ope, omnis a ligulis extimescenda spurcietas firmissime arceatur. Paulo post autem inualuerat jam apud exterarum gentes mos, ope syringae clysmata injicendi, qui vero apud germanos chirurgos uti ex Heisteri Chirurgia Tom. II. p. 1035. discimus, non obtinuit, potius antiqua methodus ad medium fere huius quod vivimus saeculi fuit reservata. Iam enim inter Batauos priori saeculo clysmata per syringam injecta fuisse, ex REGNERI DE GRAAF verbis in expositione figurae inveniendis elucescit<sup>8)</sup>, qui egregius vir non ineptum putavit, pudicitiae consulere muliebri, et eapropter suis operibus singularem adjunxit tractatum de novo instrumento, quo etiam eminus minister vel ipse aegrotus, si ei tantum virium superfuerit, sibi metipso clyisma applicare potest, ubi, syringae ceu noti instrumenti notionem injicit<sup>9)</sup>.

Ad haec igitur tempora usque adhibebantur madida tantum enemata, usque dum denique ex non ita pridem inuento nouo orbe, a barbaris gentibus ad nos, noua siccorum clysmatum aduecta fuit species. Non enim tantum, a NICOTIO, Vlisippo, Lutetias Parisiorum transmissa planta traumatica virtute celebris erat, neque sufficiebat quod Pharmacopolae, vnguenta, species diatabaci, cerata, syrupos tabacinos, et id genus alia venditarent, verum, paulo post adhibebatur herba Sanctae crucis luxui, idque varia sub forma. Medici europaei vero, edocti quod fumus huius herbae, in iliaca passione, colicis affectionibus, atque suffocationibus omnibus fere, ab Americae incolis felicissimo saepe cum euentu, per anum inflectur,

8) In operibus supra laudatis p. 667.

9) Eodem loco machinae anglicanae dictae mentionem injicit. In germania vero primus de ea scripsit ALHARD HERRMANN CVMME, qui 1667 ad Elsnerum Berolinensem scribit, se in metastasi catameniorum per anglicum instrumentum quo tabaci fumus inflatur, mulierculae opem tulisse. Ephem. Nat. Cur. Cent. I. Obs. 95.

tur, id sibi dictum putabant, et ab initio, per duos syphones, quibus fumum haurimus, deinde vero per propriam fistulam id efficere meditabantur. Erat ille canalis flexilis, ex filo metallico super cylindrum cochleae in modum flexo, cui animale intestinum <sup>10)</sup> superinducebant paratus; isque loris implicatus canalis, demonstrabat elegantiam aliquam atque mundum, quo ab inuentorum simplicitate quam maxime recedebat. Quamquam vero hic apparatus multum commodi habere videbatur, erat tamen hacce admodum nauseosa operatio, quandoquidem necessario is qui eam instituebat, prius sugendo buccas fumo implere, deinceps vero collectum fumum flatu in destinatum locum propellere cogebatur. Hicce vero applicandi modus, potest, praeter id quod admodum injucundus atque nauseabundus est, operanti etiam nocius euadere atque deleterius, isque, praesertim si debilioris habitus, aegrique admodum obstructa fuerit aluus, poterit nisi pulmonibus suis damnum inferre plane irreparabile. Hæc re commoti cogitauere varii iique egregii viri de suppellectilis emendatione, ac sane, eorum conamina non frustranea fuisse, docent inuentæ atque diuulgatae machinae GAVBII, DE HAEN, SCHAFFERI, LOBSTEINIque, quibus omnino RICHTERVS Goettingensis, non eo nomine quod ipse emendationem addiderit, sed idcirco potissimum adjungendus videtur quod, omnia ea quæ circa hanc operationem noua inuenta concernunt in egregia sua Bibliotheca chirurgica diuulgauit. Iam vero cum ceu per morbum aliquem chirurgica instrumenta ubique locorum si quæ mihi sese offert occasio, perlustro atque contemplor, id sane etiam feci in eo instrumentorum genere de

10) STISSERVS Helmstadiensis, quondam medicinae professor fuit, haec explanat in Epistola de machinis fumiductoriis curiosis, sive fumum impellendi intra corp. hum. instrumentis etc. ad illust. Vir. magn. Soc. Angl. Reg. data. Hamburg. 1686. vid. etiam DECKERVS in exercitat. pract. p. 795. et VALENTINI in Polychrestis exot. p. 73.

de quo nunc potissimum agitur. Qua in re Clarissimi HEBENSTREITH singularis in me benevolentia me admodum iuuat; is enim communicauit mecum ex instructissimo quod ei est armamentario chirurgico praeter lobsteinianam, cuius copiam experientissimus RICHTER medicus obstetricius Zittauiensis, mihi fecit; omnes fere reliquas machinas, ita, ut de earum utilitate, pro capto mediocritatis meae aliquid concludere potuerim. Quamuis vero non eo consilio ut optimos viros atque emendatores carperem eorum perlustrarim instrumenta, tamen haecce mihi semper visa sunt omnibus atque singulis inesse incommoda ut, quod primum est, admodum composita ideoque cara, deinceps vero ob ipsam nimiam compositionem haud adeo esse possint diuturna. Quod meum iudicium qualecunque fuerit, tamen eo me redegit ut, de noua, in qua fumus valvulas vel epistomia permeare non debet, quod sordidas atque inutiles machinas reddit, et cuius ventilatio communis syringae ope perficiatur, quaedam meditarer. Sunt quidem jam in Chirurgorum scriptis exempla syphonum, qui continuo riuulo liquida protrudunt, qualia BARTHOLINVS <sup>11)</sup> et GARENGEOT <sup>12)</sup> descripsere. Hi autem syphones a nostro consilio ea ratione differunt, quod sypho ipse sine reliquo apparatu usum habet plane nullum, cum contra in nostra, uti jam asseruimus, quiuvis adhiberi possit. Est autem praeter cylindrum syphonis quem, ut pote satis notum, non attingam, machinae meae sequens fabricatio. Cuboideum cauum ligneum corpus Fig. 1, superiore sua parte cannula instructum est, cuius apertura syphonis cannulam firmiter in se recipiat, duo latera huius cubi perforata sunt quadratis

11) In suo tractatu de methodo viscera praeparandi per iniectiones liquorum, qui annexus est libello, de Diaphragmatis structura noua ad Cosmum III. Hetruriae Ducem. Paris 1776. 8.

12) Nouveau traité des Instruments de Chir. Second Edit. 1727. Tom. 2. p. 365. sq.

quadratis foraminibus, e regione oppositis, cuius vnum ab interiore parte munitum est valuula, ex ligno, aluta superinducto confecta quae aëri ingredienti quidem ingressum concedit, egressum vero, elatere urgente coercet. Opposito vero latere res se habet inuerso modo ita, vt egrediens quidem aër libere fluat, redeunti vero iter praecludatur. Huic exteriori valuulae superinducta est alia minor theca, quae ipso loco qui valuulae respondet, canalem habet aëris vltiorem progressum in fistulam <sup>13)</sup> coriaceam, et per eam ad capsam qua Tabacum continetur, dirigentem. Altera eaque princeps fere pars in machinis eiusmodi omnibus ea est, quae herbam ipsam continet. Ac ea quidem solet alias pyri referre figuram, quam ego in cylindrum commutavi, cum quae ceterae vix non omnes cochlearum ope firmentur, aliam, eamque compendiosiore aequae tamen firmam fieri curavi coniunctionem. Nimirum cylinder ex orichalcea lamina paratus tres pollices longus, operculum habet, margine duas tertias pollicis alta instructum, ita tamen duobus locis eliminatum vt, mediantibus duobus clauiculis simili ratione, qua militum sicae, quae ab vrbe Bajonna nomen habent sclopetis, ita etiam vasculo neclatur. Ex fundo autem vasculi procedit canalis qui cum coriacea fistula communicat, vltima autem cannula ano iniicienda omne instrumentum absoluit. Vtus eius atque adhibitio haec est: impletur vasculum ea Tabaci specie quae a canistris nomen habet, quam HEISTERVS optime conuenire ex sua demonstrat experientia, ad remanentiam duarum linearum quod spatium fungo vulgari impletur, accenditur fungus et operculum ocyllime applicatur vasculo; syphonis autem interea cubo applicati embolus extrahitur et intruditur leniter, quo motu vti neminem physicarum rerum non penitus ignarum nescire arbitror aër syphonis cylindrum ingreditur per id foramen, cuius valua interiora spectat intrans. Cum vero per illud redire ob ipsam

valuulam

13) Hi canales conueniunt cum eo STISSERI omnino, atque ab lorica-  
piis sub nomine *geflochtene Pfeifenröhre* venumdantur.

valvulam non possit, transadigitur is per vasculum nicotiana factum, et fumus ab incenso tabaco oriundus per cannulam, aegrotantis in-jicitur corpori. Ceterum, quanta vi reliquas machinas haecce mea superet tum experientia propria mihi demonstratum est, tum etiam poterit illud quilibet ex egregia vi, quam syphones in eiactulandis aquis exerunt sibi met ipsi declarare atque intelligere. Nunc vero nihil, expositionem figurarum praeter, superesse videtur.

*Iconum et litterarum explicatio.*

Fig. 1. Demonstrat cuboideum ligneum corpus, cui sypho imponitur, vbi quidem

- lit. a) cannulam corneam, syphonem recipientem,
- b) corpus ipsum,
- c) thecam seu eam cavitatem, quae excludentem valvulam in se continet
- d) vero, cannulam cum fistula coriacea communicantem significant.

Fig. 2. Idem corpus perpendiculariter dissectum (*en profil*) ostendit, litterarum autem significatio talis est, vt

- a) cannulam vti in priori iconismo,
- b) valvulam interiora patulam atque elatere eiusmodi munitam, quales organorum pneumaticorum opifices, in Pneumatophilacia (*in die Windladen*) collocant,
- c) valvulam aërem excludentem,
- d) cauum a thecula efformatum,
- e) cannulam cum fistula coriacea ope cochleae coniungendam;
- f) denique ligneam compagem demonstrant.

Fig. 3. Exhibet vnum latus modo descripti corporis, cum loco atque apertura foraminis naturali magnitudine.

Fig. 4.

- Fig. 4. Capsulae discissae exponit faciem, et quidem,
- a) Clauiculas, aeneae laminae adferruminatas,
  - b) cribrum in fundo capsulae positum, atque cinerum ulterio-  
rem progressum impediens, cuius vberiore demonstrationem octava icon habet,
  - c) canalem, cum secunda fistula coriacea cohaerentem, com-  
monstrat debita magnitudine.

Fig. 5. Operculum dictae Capsulae similiter discissum praestat.

- Fig. 6. Idem operculum ab interna facie consideratum, ubi
- a) foraminula, per quae aer intrat, b) marginem ob oculos ponit.

Fig. 7. Externam speciem eiusdem operculi, ubi simul incisio eius-  
que figura per appositam stellam discernitur.

Fig. 8. Cribrum superius Fig. 4. indigitatum sistit cum foraminulis,  
cuius dissectionem

Fig. 9 praebet. Eius vero litera

- a) exponit, qua ratione foraminula confici debeant, ne a  
fuligine occludantur, conica nimirum ea esse debet figura,  
quod nostri opifices (*eingesenkt*) vocant;
- b) vero marginem ostendit, qui praecauet, ne, si cribrum  
capsulae immittitur illud transuersim cadat.

Fig. 10. Compositum omnem apparatus exhibet. Et quidem lit-  
terarum significatus talis est:

- a) Syphonem eiusque situm,
- b) corpus cuboideum,
- c) capsam, quae nicotianam in se continet,
- d) cannulam, quae aegroto applicatur,
- e) et f) vero fistulas coriaceas ostendunt.

---

*Est aliquid prodire tenus si non datur ultra.*

---

